

runt corrupta, (3) quod oraculorum responsa ambiguum vel obscurum habuerint sensum, (4) quod, si oracula diaboli fraudes, gentiles fuissent excusabiles.

§. 17. Enim vero cum rationi non contrarietur, statuere (1) entia intellectu perfectiore ad praevidenda ea, quae homines praescire nequeunt, esse praedita, & (2) eadem cum hominibus posse communicare, illisque praedicere ejusmodi futura, quae ex circumstantiis sagax subjectum praenoscere valet, simul concludimus oraculorum possibilitatem, qua supposita, tota controversia est de factis. Ubi libenter confitemur, multas hominum fraudes oraculis intervenisse, nec tamen omnia oracula statim pro impostura hominum sunt habenda, ni velimus totam historiae fidem tollere.

DE FATO.

§. 18. Fatum definitur per arcanum Dei decretum & consilium, quo Deus genus humanum gubernat, & inter mortales bona ac mala ita distribuit, quemadmodum ipsius sapientiae, benignitati ac justitiae maxime conveniens est. Secundum hoc DEUS arcano modo & ob rationes nobis incognitas efficit, ut alteri omnia destinata secundum votum cedant, quamvis debitam circumspectionem non semper observaverit, alteri vero justa cum prudentia agenti omnia destinata infeliciter eveniant. Sic fato fit, ut alii citra extraordinariam sapientiam ac prudentiam summos in civitate honores adipiscantur; alii contra inter concatenatos labores inopes, & quamvis singulari doctrina & prudentia pra-